

<[sida 10](#)> imbuti sunt: profecto in ipsa educatione, in docendi methodo diversitas quærenda est.

Miremini forte, unde David condonandi artem didicerat, unde pietatem, unde admirabilem in Deum fiduciam sub omnibus persecutionibus acceperat. Hæc sunt quæstiones exploratu valde difficiles, et si ego meam de his rebus præfiscini edicere auderem sententiam, profecto nimis sapere viderer. Si autem virtutes animi addiscantur, vel si quadam eruditiois arte adquirantur: non certe David in aula Sauli didicerat artem tolerandi atque condonandi injurias. Sed ni fallor, ex lege Domini eruditus est; in ædibus paternis educatus est; erat enim radix Jessæ.

Atque ego L. si qua in me religio est, si qua in deum fiducia, si qua in rebus adversis tolerantia: profecto eas virtutes, non in scholis didici, sed in ædibus paternis, in matris gremio accepi, quidquid religionis atque fidei est in me. Illius enim beatæ memoriae exemplis, lacrimis, suspiriisque nocturnis debo omnem in religione et fide informationem.

At inquitis: ædes paternæ patent omnibus, et etiam in scholis docetur Theologia. Verum ; sed ita docetur in scholis nec non in nonnullis ædibus paternis, ut videatur esse scientia theoretica parum practica; ita docetur, ut non semper de intimo pectore promi, ut non omnibus propria, sed aliena scientia esse appareat.

Jam orationem meam odiosam omnibus, nemini gratam sore intelligo. Ne vero patientia vestra nimis diu abuti videar, et ut finem huic oratiunculæ quam primum addere liceat, unum a vobis peto, ut concedatis mihi, vera esse prædicata, quæ de moribus <[sida 11](#)> urbanis et rusticis prædicti, scilicet: rara pietatis et fidei vestigia in agris, multoque rariora in urbibus apparere, eaque priscæ simplicitatis ac fidei reliquias esse, a parentibus liberis quasi imbutæ.

Hac mihi data venia, ego quoque vobis facile largiar, quod neminem vestrum negare existimo, perditorum hominum exemplis factum esse, ut civitatis labes scelerumque omnium eluvies per totam exundaverit civitatem, ex urbibus ad rus, ex optimatibus ad infimæ sortis homines, ex ædibus nobilium ad ignobiles Lappones per montium claustra errantes. Atque hinc illæ lacrimæ. Hinc illæ querelæ. Hinc turba mobilium per plateas errantium, latrantium, ululantum et comitia tributa flagitantium. Hic, hic in intimo pectore perditorum hominum, in depravatis moribus, in religionis desectu, in deleta pietate latet radix omnium malorum.

Jam vero illud admirabile dictu, quod auscultent homines calumniatoribus; quod fides habeatur adversariis reipublicæ ac civitatis; quod mos geratur sicariorum gladiotorumque patronis, declamantibus: male res gestas, populum servitute oppressum, in administranda republica nullam fidem esse, regem non regnare sed gubernare debere, salutis totam spem in comitiis tributis sitam etc.

Quasi vero non servitutem haberemus ipsi in oribus faetentibus vino, in oculis squalidis sorde, langventibus epulis et somno, in nervis torpentibus lascivia, in toto corpore enervato voluptatibus, libidinibus decrepito; in sangvine exsucco bili, in anima lacerata cupiditatibus, spe et metu distracta, invidia, odio, ira cruciata. Ecce horribilem servitutem in mem-